

rendo Ciceronisque et aliorum in dialogo urbanitate adsuetis, insubidam peregrinitatem et nescio quid barbarum et inficetum sonare videaris. Quapropter, cum velut in bivio haererem intelligeremque, passim aut simplicitati munditiem et concinnitatem, aut concinnitati et elegantiae simplicitatem posthabendam esse, ita rem moderandam duxi, ut in dialogi quidem ratione formanda aliquantum mihi indulgerem et dandum aliquid puerorum infirmitati statuerem, in caeteris omnibus caverem, ne linguae Germanicae genium nimis redolerent, omninoque vernaculae mihi indolem plane detrectandam, et quae superiores interpretes passim admisissent, ab idiomate Romano abhorrentia, ea resecanda putarem. Quo factum est, ut opusculum meum, licet eodem, quo priores interpretationes, consilio institutum, plurimis locis dicendi genere ab iisdem longe recedat, neque vestigia earum sequatur, nisi quum verbis disertioribus atque magis congruis res explanari non posse viderentur.